



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. X. Quo tempore producatnr Animus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

tur. Quando autem supra diximus, sanguinem imperfectè coctum animari, non loquebamur de lacte, quod, vt diximus, non est sanguis: imò si ab aliquibus sanguis dicatur, adhuc non est is de quo locuti sumus, ille enim est communis mari & femina, differtque à perfectò sanguine, quia non habet tot gradus caloris quot ille, licet absolute habeat multos; lac autem est proprium feminae, item & omnino diuersum à sanguine, vt diximus.

SECTIO X.

Quo tempore producatur Animus.

300 **Q**VAESTIO hæc solum habet locum in animo rationali; animæ enim bruti & plantæ, cum materiales sint, dependent, vt à causâ intrinsecâ, à materiâ, ideoque non prius existunt quàm illi vniantur eo instanti, in quo materia vltimò disposita est ad eas formas, & in quo corrumpitur aut definit esse in subiecto præcedens, cum illâ incompossibilis eo naturæ ordine, quo in Physicis diximus, agentes de causâ formali; ergo in animo rationali, qui independens est à corpore dubitari potest, vtrum sicut, postquam semel materiâ vnitur, potest ab eâ separari, & separatus existere, ita etiam ante vnionem sui cum materiâ extiterit, aut existere potuerit aliquo tempore.

301 **O**rigeni tribuitur error, adstruens, animas productas fuisse à Deo multò ante vnionem illarum cum corpore, cuius erroris potuissansâ desumi ex Genesi cap. 2. vbi dicitur Deum requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat; ergo iam produxerat omnes animas deinceps corporibus vnientas, alioquin non requieuisset Deus, sed potius quasi continuasset laborem. Non fauet villo modo huic errori Genesius locus, quo non docetur, Deum tunc produxisse omnem creaturam, alioquin etiam omnes formæ materiales substantiales & accidentales, item & spirituales accidentales, iam tunc productæ fuissent, quod nec aduersarij delirarunt, nec continua rerum successio, generationes, & corruptioes nouæ in controuersiam adduci patiuntur. Ibi ergo se explicat Scriptura, dicens, Deum requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat, id est à creatione nouorum elementorum, corporum, specierum, aut, vno verbo, mundi machinæ, quo non negatur, alia entia post eâ à Deo creanda.

Contra hunc errorem stat definitio Leonis Magni Epistolâ 31. contra errores Priscillianistarum, & Concilij Constantinopolitani in Epistolâ Sophronij, quare circa factum nulla est in præfenti difficultas cum Catholicis.

302 **E**st tamen, vtrum id fundetur in ipsâ naturâ animæ, exigentis non prius produci quàm vniantur cum corpore, an verò id solâ Dei voluntate prouenerit. Ratio dubitandi insinuata est supra, & desumitur ex independentiâ animi à materiâ: quia si sit ob hanc potest conservari post vnionem sine materiâ, ita etiam videtur posse existere ante vnionem. Vergetur difficultas in sententiâ docente, separationem non esse animæ violentam, sed potius illi meliorem coniunctionem ad corpus, propter perfectiores operationes, quas extra corpus exercet; ergo connaturalius illi foret produci extra corpus, quàm in illo. Confirmatur, quia

existisse prius in corpore, est pura denominatio extrinseca, quæ nihil videtur conducere ad existentiam animæ extra corpus; ergo sic post existentiam in corpore potest sine illo conservari, ita & poterit ante existentiam in illo.

Nihilominus tamen dicendum est cum communi, animam naturaliter exigere primò produci in materiâ. Ratio est, quia anima verè est ens incompletum, & de se dicens ordinem ad materiam. Imò quantum est ex vi naturalis inclinationis, nisi ab agentibus contrarijs expelleretur, semper in materiâ conservaretur: neque enim ipsa exigit, sed præcisè patitur separationem à materiâ; ergo minimum in primo instanti debet produci in ipsâ materiâ, vt vel sic primò producatur completa. Quod si postea separata à materiâ appetitū elicitō voluntatis refugiat vnionem, id non arguit, etiam separatam appetitū innatō non inclinari in vnionem corporis. Pro quo aduerte, stare optimè appetitū elicitū innatō contrariari, appetitū enim innatus cum sit ab ipsâ naturâ, inclinatur in bonum naturæ & vniuersi, quod bonum præcipuè consistit in integritate substantiali illius; est enim maxima perfectio naturæ, complementum substantiale illius; appetitū autem elicitus, qui oritur ex cognitione representante bonitatem in obiecto, sapè est contra inclinationem naturalem, propter bonum ali-quod relucens in re amata, etiam si contraria naturæ. Et hinc fit, quantumuis naturæ se inclinatur in bonum delectabile, appetitū tamen elicitum sæpè abhorret ab illo bono, inclinaturque in oppositum, vt contingit quotidie in hominibus iustis, fugientibus bona delectabilia contra naturæ inclinationem, & amplexantibus dolores naturæ dissonos, propter honestatem moralem in illis repertam. Dico ergo, animam appetitū innatō & naturali semper inclinari in corpus, & hinc oriri, vt separatio ab illo sit, & (vt inquit Aristoteles) omnium terribilium terribilissima; appetitū autem elicitō poterit inclinari in separationem propter specialem bonitatem quam sibi in eo statim promittit. Cum ergo appetitū innatus sit prior & magis intrinsecus quàm elicitus, oportuit vt primò illi satisfieret, & anima in materiâ produceretur, postea verò maneret locus, vt fieret satis appetitū elicitō.

303 **E**x his patet ad rationem dubitandi, animam, quantumuis independentem à materiâ, adhuc esse substantialiter incompletam, & ordinari naturâ suâ appetitū innatō in complementum substantiale sui, ideoque debere primò produci completam, quantumuis postea possit incompleta conservari. Vterius id suadet, quia Deus vt auctor naturalis, debet omnia in esse perfectò producere, imò & conservare, nisi agentia contraria id impediant. Cum autem in primâ animæ productione nullum contrarium peccat animæ productionem extra materiam, videtur quæ teneri Deus eam completam in materiâ producere. Quod autem postea conservet eam incompletam, prouenit ex contrarijs agentibus, dissoluentibus illius vnionem, quare non in Deum id refunditur, sed in causam secundam.

Hinc colliges, non esse denominationem purè extrinsecam, & impertinentem in ordine ad præsentem questionem, existisse aut non existisse animam in materiâ vt existat postea sine illâ, vt ob-

iectio supra facta cōtendebat: quando enim supponitur existisse, supponitur satisfecisse muneri ad quod natura sua ordinatur; item & Deum ut auctorem naturalem & perfectum, produxisse illam formam completam & perfectam, neque posse Deo tribui animam incomplementum; quapropter supposita existentia in materia recte potest sine illa existere, secus quando non supponitur: sicut habitus fidei, qui postquam in via satisfecit muneri, ad quod ordinabatur, nempe ad constituendum hominem, capacem operandi meritorie supernaturaliter ex parte cognitionis in patria, ubi iam defecit hic finis, deficit etiam & ipse habitus; ita anima postquam constituit hominem, ad quem ordinabatur, potest iam a materia abesse, quia verò anima natura sua est immortalis, conseruatur etiam extra materiam, quod differt ab habitu fidei, qui cum ex se sit defecit, illis, & pendens à subiecto, destructa vnione cum illo, statim ipse perit.

SECTIO XI.

A quo primò producatur Animus rationalis.

309 **A**LTERA potest esse in presenti difficultas, à qua causà producatur animus. Communis omnium & vera sententia docet, produci à solo Deo: sed non est communis, nec facilis illius probatio.

Prima videtur desumi ex immortalitate animæ & conseruatione illius à solo Deo, è quo videtur inferri, à solo Deo producendam. Sed contra, quia forma equi conseruatur à solo Deo, & ex hac parte non illi repugnat immortalitas, nec tamen à solo Deo primò producit, ergo etiam anima poterat à solo Deo conseruari, & ex hac parte esse immortalis, etiam si non fuisset primò producta à solo Deo.

310 **S**ecundò alij: Animus rationalis producit per creationem, ergo à solo Deo. Patet consequentia, quia creare arguit infinitam virtutem in principio, ideoque repugnat creature. Sed contra Primò, quia, ut ostendi Disput. XI. Physicæ à num. 82. non requiritur virtus infinita ad creandum, ideoque ibi dixi, possibilem esse de potentia absolutà creaturam potentem creare, etiam ut causam principalem, ergo ex hoc non potest inferri, animam non produci etiam à causà creatà. Contra Secundò, quia saltem instrumentaliter potest creatura naturaliter concurrere ad creandum; vnde ergo tibi constat, animam rationalem non produci de facto à Deo ut à causà principali, ab animà verò matris vt ab instrumentali?

311 **S**apè dixi in his questionibus, de facto non posse ratione naturali agi, quando, in ordine ad potentiam absolutam, neutra pars contradictionis implicat, & nullum est nobis vestigium ex effectibus ad inuestigandum, quæ illarum existat, vt in presenti contingit: verum licet non inueniam philosophicam rationem pro hac sententià, eam tamen vt verissimam teneo, & quia conformior est Catholicæ doctrinæ, & quia ab omnibus Patribus expressè traditur. Ideo dico, etsi possibile sit aliqua substantia, quæ possit creari, vel principaliter vel instrumentaliter, ab alterà substantia creatà; quia tamen possibile est etiam alia

quæ à solo Deo petat creari, & omnes docent, talem esse animam rationalem, infero, illum esse ex numero illorum, quæ à solo Deo petunt creari. Quo discursu vbi sumus loco nuper relato è Physicâ, vt diceremus, nullam creaturam de facto creatam, nec potest in presenti vlla efficacior inueniri ratio.

312 **A**duerte, à Conimbricensibus libr. 2. cap. 11. quest. 3. afferri, ad probandam prædictam veritatem, decretum Leonis Magni Epistolâ 93. quæ est ad Toribium Asturicensem Episcopum, statuentis, animas à nullo incorporari præterquam à Deo ipsarum creatore. Sed hoc decretum, sic intellectum vt sonat, nimium videtur probare, & contra ipsosmet Conimbricenses, scilicet, vnionem animi ad corpus non produci ab animâ matris; nam illa vnio est incorporatio, quæ à Pontifice soli Deo hic videtur tribui. Ne ergo Pontifex communi at vera opinioni refragetur, intelligendus est solum locutus contra eos, qui dicebant, animas à seipsis vel à demonibus ex acie detruendi in corpora; contra quos docet Pontifex, eas à solo Deo produci, & à solo Deo incorporari, in hoc sensu, quatenus se solo eas producit in corpore iam perfectè disposito ad vnionem, quæ necessariò sequitur, ex productione animæ in tali occasione: & sicut, qui dat formam, dicitur dare consequentia ad formam; ita etiam Deus se solo producit animas, ex quibus necessariò sequitur incorporatio, se solo dicitur dare incorporationem, licet hæc in rigore producat etiam ab alterà causâ efficiente, id est, à matre, vel saltem materialiter ab ipso corpore, à quo materialiter vnio causatur; de quo Pontifex in præsentī Epistolâ non egit, quia res est merè Philosophicæ, nullo modo pertinens ad veritatem Fidei, & parui momenti.

314 **A**duerte deinde, etiam si naturali ratione non proberetur, animam non produci ab alterà animâ, neque instrumentaliter, posse tamen probari, non produci ab Angelis, vt nonnulli somniarunt: quia licet Angelus sit perfectior animo, adhuc non infertur, eum continere vilo modo animam; sicut, etiam si aurum perfectius sit aquâ, nullo tamen modo illam continet. non est autem maius fundamentum ad dicendum, Angelum continere animam, quàm ad dicendum, in auro contineri aquam, ergo, &c.

Obiter in presenti impugnandi sunt duo errores: Alter illorum, qui dixerunt, animam esse partem Dei, quem sanè egregiè refutat Leo Magnus, Epistolâ supra citatâ, quia Deus omnino est simplex, item & immutabilis, ergo non potest habere partem quæ sit anima, nec potest, etiam si illam haberet, amittere eam in tempore, non est ergo particula Dei. Idem possumus vlteriùs confirmare, quia particula Dei debet esse infinita & incapax peccati; anima autem finita virtutis est, & capax peccati, vt docemur experientiâ, non ergo est particula Dei.

315 **S**ecundus error est illorum, qui vniam animam in omnibus corporibus constituerunt, quasi Solem omnibus illis affulgentem. Ita tribuitur Pythagoricis: verum hi aliter errarunt, non quidem vnitatem animarum in omnibus corporibus, sed earum transmigrationem asserentes. Hic autem error de vnâ animâ à Commentatore fusè traditus est, impugnatur tamen facile: non enim